



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Innocentis reprehensi, & à Deo defensi Religiosi exemplum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Constantinopolitano qui sibi *Episcopi uniuersalis* nomen per summam simplicitatem usurpauerat, sola monitione contentus, poenas nullas sumpsit. D. Gregorius Pontifex Max. *ne, ut ait, Ecclesia unitatem perturbaret, pro causa profani vocabuli, moras faciendo.*

S Greg lib.
6. epist. 24.

V.

Reprehenduntur autem saepe etiam innocentes, & reprehenduntur publice; itaque ibi non est corrigendi locus, quid ibi Deus destinat? destinat ostendere innocentiam, patientiamq; aliorum; aliorum autem detegere diabolicam malitiam; deniq; omnes docere, ne primis rumoribus credant, cum saepe sequens dies ostendat inuidiam, & iniuriam praecedentis. *Non est diu, ait Caesarius, quod monachus quidam stimulis inuidia agitatus & superatus, quemdam ex fratribus suis adolescentem accusauit apud Abbatem, imponens ei crimina pessima: cui cum minus Abbas crederet, illo ad maiorem vindictam usq; ad Visitatoris praesentiam suam accusationem reseruauit. Quid plura? Tanta apud illum inuidi machinatio profecit, ut ipse Visitator inueni uitia relatu in Capitulo coram omnibus obiceret; neganti, & Deum innocentiae suae testem innocenti, non crederet, sed habitu truncato carceri manciparet. Post cuius discessum, Deus iudex iustus, inuidiam infirmitate peremptoria flagellauit: timens uero mori, confessus est, inuenem ex inuidia se accusasse. Quod cum ex consilio confessoris senioribus propalasset, statim pro Visitatore missum: qui territus ad monasterium ocius rediit, ipse carcerem intrauit, ad pedes monachi se prostrauit, & ut sibi ignosceret, quod ignoranter in eum deliquerat, supplicans, etiam reluctantem eum cum gloria eduxit. Hac mihi relata sunt a quodam Abbate, qui uisitationi eidem interfuit. Apollonius: Puto monachum istum in tam graui tentatione meruisse. Caesarius: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod uua torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Seruauit enim in tribulatione patientiam. Inuido autem sua erat inuidia, quod uenenum stomacho, quod tinea uestimento, quod arugo flori, quod tabes corpori.*

Caesar lib. 4.
hist. Illustr.
cap. 24.

VI.

Præstat igitur reprehendi, quam proiectum esse ad reprehensiones; quia qui reprehenditur, si nihil habet quod emendet, habet tamen quod mereatur apud caelestem remuneratorem. Qui autem libenter obuia quæque carpit, similis est lamij, quas fabulae narrant, foris oculatas esse, domi oculis in uase reconditis nihil videre; ita enim isti, qui se putant in alienis perspicaces esse,

ad